



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Illvstri Regi Angliæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

nam Angliæ & regnum Hiberniæ, adjutor ero ad tenendum & defendendum contra omnes homines pro posse meo. Sic Deus me adjuvet & hæc sancta Dei evangelia. Teste me ipso apud domum militiæ templi juxta Doveram coram Domino Henrico Archiepiscopo Dublinensi, Domino Iohanne Episcopo Norwicensi, Galfrido filio Petri Comitris Essex. Iustitiaro nostro, Vvillmo Comite Sarsberienfi fratre nostro, Vv. Marefcallo Comite Pembroc. R. Comite Benon. Vv. Comite Vvarenæ, G. Comite Vvintoniensi, Vv. Comite Arundell. Vv. Comite de Ferrariis, Vv. Broubert, Petro filio Herberti, Vvarino filio Getoldi, xv. die Maij, anno regni nostri xiv.

LITTERA REGIS ANGLIÆ AD
Dominum Papam.

Epist. 78.
Super eodem.
Vide infra epist.
150.

Sanctissimo Patri & Domino suo Innocentio Dei gratia summo Pontifici suus devotus & fidelis Iohannes eadem gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normaniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ, salutem & tam debitum quam devotum obsequium. Sanctæ paternitati vestræ significamus quod cum magister Pandolphus nuntius & familiaris vester formam pacis nobis transmissam ostendisset, nos ob reverentiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ illam admisimus sine aliqua diminutione pro voluntate vestra observandam. Ceterum inspirante gratia sancti spiritus ad perpetuam Ecclesiæ pacem & exaltationem regna nostra, scilicet Angliæ & Hiberniæ, de vobis & successoribus vestris & sanctæ Romanæ Ecclesiæ tenenda suscepimus, annuam vobis & successoribus vestris mille marcas reddendo, sicut ex transcripto chartæ nostræ, quam inde fecimus, pendere poteritis. Rogamus ergo sanctam paternitatem vestram quatenus de cetero nos in gratiam vestram recipere dignemini & misericorditer nobiscum agere velit de onere nobis imposito, quod grateranter suscepimus. Teste me ipso apud templum de Vvell. xv. die Maij.

ILLVSTRI REGI ANGLIÆ.

Epist. 79.
Responder epist.
foliæ superiori.
Vide infra epist.
151.

EI qui de malis novit eligere bona gratiarum referimus actiones quod tibi misericorditer inspiravit ut idoneè satisfaceres de damnis & injuriis Ecclesiæ irrogatis; cum non solum formam satisfactionis receperis multimoda deliberatione provisiſam, verum etiam personam & terram tuam apostolicæ subdidideris ditioni, conferendo in perpetuum jure dominij sanctæ Romanæ Ecclesiæ regna tua per ipsam & ab ipsa tenenda sub annuo censu septingentarum marcarum de Angliæ & de Hibernia trecentarum, sicut in instrumento tuo legitime inde confecto plenius & expressius continetur. Quis enim te docuit, quis induxit, nisi spiritus ille divinus, qui ubi vult spirat, & nescis unde veniat aut quò vadat, dividens dona singulis, prout vult, ut tam discretè, tam piè simul in unum & tibi consuleres & Ecclesiæ provideres? Ecce sublimius & solidius nunc ob-
Tom. II.

tines ipsa regna quam hæctenus obtinueris, cum jam sacerdotale sit regnum & sacerdotium sit regale, sicut in epistola Petrus & Moyses in lege testantur. Eiaigitur, magnifice Princeps, comple promissa, & concessa confirma, ut omnipotens Deus tuum semper & rectum compleat desiderium & propositum confirmet honestum, sicque te faciat per temporalia bona transire ut non amittas sed acquiras æterna. Nos ergo juxta tuæ petitionis instantiam Legatum ad te de nostro latere destinamus, quasi angelum salutis & pacis, venerabilem fratrem nostrum Tusculanum Episcopum, virum Deo gratum, & acceptum hominibus, quem inter fratres nostros merito suæ religionis & honestatis speciali diligimus caritate, ut in missi persona mittentis cognoscas affectum. Ipsum igitur, quem ad tuum commodum & honorem, quantum cum Deo potuit, promptum cognovimus & attentum, benignè recipias & honestè pertractes, ejus monitis & consiliis acquiescens, quæ si fuerint reverenter admissa, proculdubio tibi proficient & temporaliter ad quietem & æternaliter ad salutem. Speramus autem in eo qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, quod sicut misericorditer ac mirabiliter cepit in virum alterum te mutare, sic tibi pium inspirabit devotionis affectum; ut quò vehementius contra eum sanctam Ecclesiam offendisti, eò reverentius propter ipsum sanctam Ecclesiam honorabis, cum jam in tantum processeris ut bonum principium finem optimum repromittat. Prædictus verò Legatus, qui conscientiam nostram plenè cognoscit, de nostro te beneplacito reddet certum pariter & securum; cui nos vices nostras commisimus, ut juxta verbum propheticum evellat & destruat, & ædificet & plantet quæ secundum Deum evellenda & destruenda necnon ædificanda cognoverit & plantanda; concessa sibi plenaria potestate ut absque contradictione cujuslibet universa quæ pertinent ad legationis officium efficaciter exequatur. Nos enim sententias quas rite protulerit in rebelles ratas haberi præcipimus & inviolabiliter observari. Datum Laterani 11. Non. Julij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Vide infra
epist. 89.

ARCHIEPISCOPO ET
Episcopis, Abbatibus, Prioribus, & aliis
Ecclesiarum Prelatis per Angliam constitutis.

GAudere debetis nobiscum in Domino & in virtutis ejus potentia gloriari
GGggg ij

Epist. 80.
De eadem re,
& de legatio-